6

DE

NEPHRITIDE ACUTA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PATHOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE I. M. AUGUSTI A. MDCCCXXXVIII

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUSTAVUS HAVER

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

A. STEGEHAUS, MED. ET CHIR. DR. MED. PRACT.
F. GUMMICH, MED. ET CHIR. DR.
A. UHLENBROCK, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

D. HAVER,

VERBI DIVINI MINISTRO,

NEC NON

AFFINI AMATISSIMO

F. HAVER,

MED. ET CHIR. DOCTORI, ARTEM MEDICAM FACTITANTI,

AD CINERES USQUE COLENDIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

GENERALIA QUAEDAM.

Inter nomina, quibus scriptores renum inflammationem designant, Nephritis usitatissimum esse videtur. Veteres idem nomen interdum vertebrae primae lumbali imponebant, quae vero saepius Nephrites dicebatur. Quum inflammatio renum plerumque cum partium vicinarum affectione conjuncta observetur, ita ut ob eam rem magna cernatur difficultas in definiendis symptomatibus, quae ad veram nephritidem pertineant; antiquiorum temporum scriptores, uti Sauvages, complures morbos nephritidem vocabant, qui partes in regione renum sitas adgrediuntur, itaque nephritidem muscularem (rheumatismum lumbalem), nephritidem intestinalem (enteritidem partialem), immo nephritidem pancreaticam descripserunt. Summo autem jure medici nostrae aetatis ob perfectiorem morborum diagnosin non uno eodemque nomine tam diversas affectiones designandas esse, rati, soli renum inflammationi illud nomen impertiverunt.

Jam Hippocrates (1), morbos renum in quatuor classes dividens, species quasdam morborum depingit,

1) Aphor. L. V. nr. 58 et De internis affectionibus cap. 15 — 18

quae magnam cum nephritide similitudinem praebent, immo stranguriam non solum e vesica urinaria, sed etiam e renibus, intestino recto, utero, proficisci posse, rite cognovit. Mira perspicuitate Aretaeus (1) et nephritidem et alios renum morbos acutos describit. Celsus (2) et Galenus (3), quamquam multa et utilia de tractandis affectionibus renum disseruerunt, minus excolendae pathologiae operam dederunt. Multa quidem de nephritide Galeni liber de affectuum renibus insidentium dignotione et curatione continet, sed pro adscriptitio habetur eumque a Christiano quodam conscriptum esse, Naumann (4) demonstrare studuit. Prinsquam aggredior morbi fusiorem descriptionem, afferam necesse est libros, in quibus plenius de nephritide agitur.

Wedel, diss. de inflammat. renum. Jenae 1697.

Vater, diss. de nephritide vera ejusdemque curandae ratione legitima. Wittenb. 1718.

van Swieten, comment. in Boerhaav. aphoris. T. 3. p. 222. §. 993.

Dupré, diss. de nephritide, pathologia et therapia. Erfurt 1725.

Troja, über die Krankheiten der Nieren, der Harnblase, und der übrigen zur Ab- und Aussonderung des Harns bestimmten Theile, im Auszuge aus dem Italienischen mitgetheilt. Leipzig 1788.

---

(1) De causis et sign. acut. L. II. cap. IX.

(2) De renum morbis. L. IV. cap. X.

(3) De locis affect. L. VI. cap. III.

(4) Handbuch der medizinischen Klinik. Berlin 1836. Bd. 6. pag. 192.

Heer, diss. de renum morb. eorumque diagnosi, causis etc. Hallae 1790.
Espenmüller, diss. de nephritide. Gissae 1790.
F. A. Walther, einige Krankheiten der Nieren und Harnblase, untersucht und durch Leichenöffnungen bestätigt. Berlin 1800.
Henke, diss. de nephritide. Hallae 1806.
Laurent, considérations générales sur la néphrite. Paris 1814.
Howship, a practical treatise of the most important complaints, that affect the secretion and excretion of the urinae. London 1823.
König, prakt. Abhandl. über d. Krankheiten der Nieren. Leipzig 1826.
Pemberton, praktische Abhandlung über verschiedene Krankheiten der Unterleibsorgane, aus dem Englischen mit Anmerkungen nach d. 4. Original-Ausgabe von Bressler. Bonn 1836. p. 49.
Naumann, Handbuch der medizinischen Klinik. Berlin 1836. Bd. 6. p. 4.

De rationibus geographicis pauca hucusque scimus. Sunt quaedam regiones, in quibus, haud dubie ob frequentiorem ibidem lithiasin, multo saepius, quam in aliis nephritides observantur, et inter has praecipue Moscowia cum finitimis regionibus et Tauris nominanda sunt. Ceterum in universum in morborum rariorum numero habendae sunt, ita ut P. Frank, renes rarius, quam ipsum lienem, inflammatione corripi, censeat, illamque magis ad chronicum quam ad acutum decursum vergere. Saepius sinister quam dexter inflamma-

tione videtur affici, cujus rei causam in Aorta illi propinquiori cerni, Roose haud immerito opinatur.

SPECIALIA.

I. Symptomatologia.

Prodromi nephritidis acutae vel omnino desunt, vel non adeo manifesti esse solent, ut morbum imminentem possimus praesagire. Febris enim, quamquam solus Naumann (1) eam plerumque phaenomenis localibus antecedere refert, secundum ceteros scriptores saepius, secundum G. Ferrus (2) fere semper, dolorem localem sequitur, igitur tunc demum animadvertitur, cum ipsa inflammatio jam adest. Neque etiam urinae conditio et copia initium morbi indicat, quod primum ischuria nonnisi utroque rene aegrotante locum habere potest, fere semper autem initio unus tantum afficitur, deinde, quod numquam totus statim ren, sed tantum pars minor majorve laborat, denique, quod optima valetudine conditionem urinae et chemicam et physicam admodum differre posse, satis notum est.

Ipsius autem nephritidis acutae symptomata haec esse solent.

1) Dolor obtusus per totam regionem lumbalem, profundus, premendo vix crescens, plerumque decursum ureterum sequens, interdum neque ad vesicam urinariam descendens et dolorem inter mictum dolorificum efficiens, inflammationis initium designat. Ita v. Swie-

---

(1) l. c. Bd. 6. p. 8.

(2) Encyklopädie der medizinischen Wissenschaften nach dem Dictionnaire de Médécine frei bearbeitet, herausgegeben von F. L. Meissner u. C. Ch. Schmidt. Leipzig 1832. Bd. IX. p. 203.

ten (1) dolorem sentiri circa posteriorem et lateralem abdominis partem, quae ultimis costis et ossi ilium interjaceat, refert; Verhagen, in omnibus partibus nexum et commercium cum rene alentibus, ut in ventriculo, intestinis, vesica, eum observari; sin quando recrudescat, in ipso rene incipere, et postremum levamen ejus in rene praecipue sentiri. Sensim accrescens magis magisque ipsam regionem renum petit et praecipue infra costam ultimam juxta vertebras infimas dorsales et supremas lumbales, duos vel tres pollices a columna vertebrali percipitur. Quum, quod supra retulimus, saepius ren sinister quam dexter afficiatur, latus sinistrum saepius, quam alterum hunc dolorem patitur et nonnulli medici, quod autem aliorum observationibus non satis comprobatur, dolorem in inflammatione dextri renis magis sursum ad hepar, in inflammatione sinistri autem praecipue ad vesicam urinariam extendi, tradiderunt. Simul vel pungens vel urens vel pulsans fit, omni motu pressioneque levi, immo interdum calore stragulorum adaugetur. Quilibet situs molestus esse solet, ita ut secundum Naumann (2) situs supinus facilius, quam alius, secundum alios medicos omnino non sustineatur. Insuper plerique auctores, nunquam fere deesse referunt peculiarem glandis titillationem.

2) Plerumque stupor femoris vel sensus quidam, tanquam femur hebescat, accedit, interdum in vehementes ejusdem partis dolores transiens, qui aegrotum, quominus ambulare possit, impediunt.

3) Saepe testis lateris aegrotantis ad annulum ab-

(1) l. c. T. III. §. 993.
(2) l. c. Bd. 7. p. 7.

dominalem, immo haud raro in ipsum abdomen spasmo retrahitur, doloremque excitat interdum tam vehementem, ut Wedel aliquando accidere tradat, ut ex doloribus illis ac vigiliis ipsa mentis alienatio oboriatur. Quod autem symptoma alii, ut Naumann, omnino desiderarunt.

4) Temperies adaucta et tumor regionis renalis, cujus Naumann mentionem facit, perraro animadvertitur.

5) Permagni momenti est functio renum turbata. Nam in perfecta nephritide acuta semper copia urinae magis minusve diminuta est (Oliguria), ita ut interdum guttatim modo excernatur et frequentem simul urinae mittendae cupiditatem sentiant aegri, licet parum vesica contineatur. Ischuria renalis, ita ut nihil reddatur lotii, raro supervenit, quippe quae tantummodo si uterque ren totus, quod rarissime accidit, affectus est, existat; catheter his in casibus in vesicam urinariam immissus eam omnino vacuam reperit et sudore vomituque urea excerni dicitur. Urina ipsa intense rubra esse solet, vino Burgundico similis, lintea rubra reddit, flocculos singulos fibrinae, vel cruorem solutum, vel ipsum sanguinem cum urina intime mixtum continet, secundum Schoenlein (1) initio morbi sedimentum arenae rubrae simile vel coloris flavidi deponit, secundum alios post breve tempus turbida fit et sedimentum largum et puriforme exhibet. In summo mali gradu nonnulli medici urinam pellucidam, tenuem. aquosam repererunt.

---

(1) Allgemeine und spezielle Pathologie nach dessen Vorträgen etc. 3te Auflage. Bd. I. p. 326.

6) Raro symptomata gastrica desunt. Existit enim, simulac morbus gradum vehementiorem attigit, vomituritio, dein vomitus ipse, quo primum contenta stomachi, dein bilis copia ingens, ejiciuntur. Alvus obstructa, lingua paulo obtecta esse solet. Interdum tussis brevis, quasi spastica, dolorem excitans, et singultus cum magna animi anxietate accedunt, quam Hildenbrand (1) praecipue in inflammatione renis dextri immanem esse refert. Vomitus vehementia accrescente morbo augetur, superveniunt syncope, convulsiones, interdum deliria, frigus partium extremarum, meteorismus abdominis, quem P. Frank (2) semel tantum eumque aegrotans abdominis latus tenentem, observavit, immo haud raro gastro-enteritidis, vel pneumoniae manifesta symptomata. Bilis vomitu excreta plerumque colorem offert aerugini similem. Quae phaenomena plerique scriptores consensualia habent. Sed quum experimenta a Comhaire (3) in animalibus instituta docuerint, exstirpationem quoque renum valde adauctam secretionem bilis sequi, quumque Mayer post exstirpationem renum fluidum colore, odore, sapore urinae, in cavo abdominis et pectoris, in pericardio, ventriculo, tractu intestinali, ventriculis cerebri invenerit et Prevost et Dumas (4) adeo uream in sanguine detexerint, haec mihi prae ceteris rei explicatio, quam ad maximam partem Naumann quoque proposuit, arridet: Partes uream constituentes, quae per renes non amplius excernuntur,

(1) Institut. T. III. §. 821.

(2) Epit. L. IV. p. 290.

(3) Sur l'exstirpation des reins. Paris 1803.

(4) Zeitschrift für Physiologie, Bd. 2. Hft. 2. S. 264 — 282.

nunc per hepar exitum ex organismo petentes secretionem bilis adaugent. Est autem praecipue azotum, quod ureaın componit et quod suppressa secretione urinae per hepar excernitur bilique alienam praebet indolem, ditiorem eam reddens pigmento, pauperiorem principio proprio bilioso. Quae bilis abnormis vehementem, quasi spasticum, excitat vomitum. Si autem functio hepatis non amplius sufficit ad omne azotum retentum secernendum, etiam alia per organa materiae urinae similes excernuntur, primum per membranas mucosas, tunc serosas et cutem, postremum in ipso sanguine urea detegitur. Ex eodem fonte etiam tussis et affectiones pneumonicae derivandae videntur, quum uream vel acidum uricum, in membrana serosa bronchiorum excretum, eam irritare, facile liqueat.

7) Febris vehemens in nephritide acuta nunquam deest, neque vero ulla in re a febri inflammatoria aliorum organorum abdominis parenchymatosorum differt. Plerumque frigus permagnum antecedit, quod sequuntur calor molestissimus, cutis calida et sicca, sitis ingens, lassitudo totius corporis, pulsus frequens, plenus, durus. Neque desunt exempla nephritidis duplicis, quorum unum memoratu dignissimum Clarus (1) exposuit, in quibus haemorrhagia narium uberrima nullo modo sisti potuit.

Superest, ut de varietatibus quibusdam nephritidis acutae, quarum in phaenomenis differentia quaedam a supra expositis cernitur, verba nonnulla faciamus:

a) Nephritis haemorrhagica s. haematuria

(1) Naumann l. c. Bd. VI. p. 9. 10.

(s. haematuresis, s. nephrorrhagia, s. haemorrhoea renalis) inflammatoria.

Haec varietas a supra descripta eo differt, quod natura ipsa sanguinis largiore jactura vim quandam medicatricem in nephritidem exserit, ideoque multo mitiorem eam reddit et minus periculosam. Praecipue ex contusionibus aliisque laesionibus regionis renalis et ex acrium diureticorum et aphrodisiacorum abusu prodit. Gravitatem quandam regionis utriusque renalis, saepe dolores ad vesicam urinariam pertingentes, qui interdum satis vehementes fiunt et per magnam partem abdominis distenduntur, in quibusdam casibus aegroti quoque torporem femoris sentiunt. Haud raro retractio testiculorum versus annulum abdominalem et symptomata gastrica, ut vomituritio et vomitus, animadvertuntur. Febris et lassitudo corporis non tantae esse solent, quam supra descripsimus; est urinae secretio vel diminuta, vel omnino suppressa cum frequente eam mittendi cupiditate; tandem impetu doloritico urinae obscure rubrae magna copia haud raro cum insultu frigoris totius corporis vehementer ejicitur, in qua post aliquod tempus sanguis coagulatus fundum petit. Coagulis in vesica urinaria ortis sanguis interdum retinetur. Raro ea haemorrhagia vitae periculum affert, quod jam Aretaeus cognoverat, qui nunquam quemquam ea haemorrhagia necari, sed solam nephritidem cum ea conjunctam timendam esse, contendit. Si haemorrhagia supprimitur, dolor, febris, vomitus, cetera nephritidis symptomata vehementiora fiunt et periculosiora. Postquam haemuresis desiit, aliquamdiu urina mucosa mittitur.

b) **Nephritis traumatica s. biastica.**

Sanguis et urina sanguinolenta vel per vulnus, vel per urethram defluunt, neque vero desunt casus, in quibus vel sanguinis perparva tantum copia evacuatur, vel longiore demum tempore post laesionem elapso haemorrhagia larga apparet. Quod Chelius (1) contendit, effluere e vulnere post laesam substantiam corticalem merum sanguinem, post laesam substantiam tubularem sanguinem cum urina et e vulnere et ex urethra, simulque existere dolores regionis renalis totum abdomen perstringentes, nondum satis aliorum observationes comprobarunt. Sensim cetera quoque nephritidis symptomata apparent, ita ut praecipua renum laesorum signa jam apud Celsum descripta legantur, qui dicit: »Renibus »vero percussis, dolor ad inguina testiculosque descen»dit, difficulter urina redditur, eaque aut est cruenta, »aut cruor fertur.« Rarissime nephritis traumatica simplex observatur, sed vel cum laesionibus peritonaei, intestinorum, vasorum majorum, ceterorum organorum abdominis, vel cum extravasatis sanguinis et urinae complicata et ex iis complicationibus, non vero ex sola nephritide, mors proficiscitur. Nequaquam, quod quidam innuunt, laesiones renum vulneribus absolute lethalibus adnumerandae sunt, quum casus exstent a Treyden (2) relati, qui restitutionem in optimam valetudinem fieri posse, demonstrant.

c) **Nephritis calculosa.**

Quam varietatem Schoenlein eadem phaenomena

---

(1) Handbuch der Chirurgie zum Gebrauch bei seinen Vorlesungen. Stuttgart 1831. Bd. I. Abth. I. p. 219.

(2) Rust's Magazin Bd. XVII.

secum ferre contendit, ac nephritidem arthriticam. Homines, qui jam antea calculis renum laborarunt, vel post usum ciborum irritantium et potuum spirituosorum vel post refrigerationem pedum, vel post alias res noxias subito plerumque noctis tempore dolore vehementissimo, decursum ureterum sequente, versus vesicam urinariam descendente, corripiuntur, qui primum per periodos desinit et revertitur, postremum quibusdam temporibus paullo tantum remittit. In mediis ureteribus, secundum Schoenlein, in media linea, inde a crista anteriore superiore ossis ilium usque ad umbilicum ducta, vehementissimus esse solet, ita ut levissimam ibi pressionem aegroti ferre nequeant, contra in ipsa regione renali levis modo pressio obtusa animadvertitur. Quam ob rem morbus facile cum peritonitide, vel enteritide confunditur, abs qua autem et deficientibus ceteris earum inflammationum signis, et sensu premente in regione renali, et iis, quae in testibus, femore, vesica urinaria, urina abnormia percipiuntur, differt. Nunquam fere deesse solet dolor regionis vesicae urinariae, praesertim inter mingendum, urina obscure rubra et vino Burgundico similis, initio morbi sedimentum dejicit, vel colorem referens arenae rubrae, vel flavidum. Interdum simul calculi parvi una cum muco et sanguine evacuantur. Vomitus vehemens et biliosus, alvi obstructio, stupor femoris, testium retractio spastica eadem esse solent, quae in nephritide supra descripta. Praecipue retractio testium in hac varietate nunquam fere desideratur. Febris etiam inflammatoria cum pulsu pleno et duro non deest, cutis sicca et calida, lingua obtecta, sitis permagna. Saepius in formam chronicam abit.

II. AETIOLOGIA.

Quemadmodum in aliis morbis, ita hic quoque apte causas in praedisponentes et occasionales dividimus.

A. Causae praedisponentes. Aetas senilis prae ceteris nephritidi obnoxia est. Sequitur aetas virilis, quum infantes rarissime nephritide laborent. Secundum G. Ferrus apud viros frequentior est, quam apud foeminas et ex illis ii praecipue morbo periclitantur, qui nimium Baccho et Veneri indulgent; ceterum constitutionis debilitas aut firmitas nullum sistit discrimen. Secundum Hippocratem iis hominibus prae aliis cavendum est, qui satis bona digestione muniti alvum obstructam, tensionem pressionemque regionis lumbalis saepius patiuntur. Prae omnibus vero urolithiasis dispositionem ad hunc morbum affert. Descensus calculorum per ureteres, eorum numerus adauctus, leviora vitia diaetetica, motus corporis vehemens, itinera in curriculis valde conquassantibus, cibi et potus irritantes cet. his sub conditionibus facillime nephritidem adducunt. Denique arthritis et haemorrhoides praedispositionem constituunt.

B. Causae occasionales gravissimae sine ulla cubitatione eae sunt, quae mechanice in ipsam regionem renis agunt. Quo pertinent vulnera ejus rogionis, praesertim sclopetaria, contusiones, lapsus, ictus, fracturae costarum, dein lapsus vehemens in clunes vel dorsum, tum omnes motus, saltatio, cursus, equitatio cet., quirum vehementi concussione organorum abdominalium conjuncti sunt, contentio corporis nimia, denique situs diuturnus supinus ob molem viscerum abdominalium tum renibus incumbentem; immo calor cubando in stragulis

plumosis inductus et consuetudo nimii desidii praesertim impleto nutrimentis ventriculo, inflammationem provocare posse dicuntur. Haud minus periculum imminet ex suppressis varii generis secretionibus, inter quas primo loco suppressae haemorrhoides habendae sunt. Rarius, quum in foeminis in universum minus frequens occurrat nephritis, mensium abnormitates causam occasionalem praebent. Cutis functionem suppressam, praesertim sudantis dorsi et regionis lumbalis refrigerationem, varii scriptores adnotant. Etiam scabiem remediis externis male curatam nephritidem acerbissimam provocare posse, Vater et Duvernoy (1) tradiderunt. Sunt magni momenti metastases arthriticae, ita ut casus observati sint (2), in quibus podagra cum nephritide alternaretur. Denique scriptores nonnulli gonorrhoeam suppressam pro causa frequente nephritidis habent.

Inter nutrimenta noxia cibi rancidi, pingues, acres et potus spirituosi, praecipue spiritus frumenti, primum locum tenent, inter medicamina diuretica acria et aphrodisiaca, ut squilla, balsama acria, terebinthina, aloë, cantharides (praecipue emplastrum cantharidum in regione lumbali positum), etiam nitrum, immo Tachenius (3) inspirato fumo arsenicali in nephritidem incidit.

Dein affectiones morbosae partium propinquarum renum inflammationem saepius excitant, in quibus teste Autenrieth (4) prae aliis ex rheumatismo musculorum dorsalium et lumbalium periculum imminet. Eodem

(1) Naumann l. c. Bd. IV. p. 123.
(2) Schoenlein l. c. Bd. I. p. 326.
(3) Naumann l. c. Bd. VI. p. 122.
(4) Reinhardt. Specielle Nosologie u. Therapie. Würzburg 1834 p. 292.

modo interdum inflammationes organorum contermino-rum, ut hepatis, lienis, coli, uteri, vesicae urinariae, ad renem propagantur, et hac parte saepius ex organis ad idem systema pertinentibus, quam ex alienis inflammationem esse metuendam, jam ex antiquissimis temporibus constat. Neque desunt observationes nephritidis suppurationibus partium propinquarum, abscessus musculorum psoadicorum, carie, vel luxatione vertebrarum lumbalium provocatae.

Postremo scriptores quidam de aliis rarioribus causis disserunt. Nimiam retentionem urinae vim irritantem exserere posse in renes, praecipue Naumann adnotavit; Wedel bis nephritidem observavit apud viros juvenes inter primas matrimonii hebdomades. Idem morbum eundem ex morsu canis rabiosi ortum vidit.

III. EXITUS.

1) Sanatio speranda est, si aegroti aetas nondum provectior et constitutio bona validaque est, si neque febris neque vomitus et alia symptomata sic dicta consensualia gradum nimis vehementem attigerunt, si denique omnes desunt complicationes periculosae, neque uterque ren simul inflammatione laborat, quod maximum semper vitae periculum affert, atque si ad ea omnia curatio apta et faustae conditiones externae accedunt. Die morbi tertio, quarto, quinto, septimo, undecimo, immo interdum decimo quarto, dolorum, febris, vomitus vehementia desinit, cutis antea sicca per totam corporis superficiem sudorem largum exhibet, mingendi frequens impetus diminuitur, contra magna copia urinae excernitur, cujus indolem alii medici aliam invenerunt. P. Frank et v. Swieten crassam, fuscam potui coffeae dilutiori

similem, quae in aliis morbis non adeo boni ominis est, descripserunt; attamen P. Frank in aliis casibus lactescentem, cum sedimento puriformi mox fundum petente, copioso, vidit. G. Ferrus urinam crassam, turbidam, cum sedimento mucoso-puriformi, describit: Schoenlein sedimentum vel cremori lactis simile, vel fuscum, quod vero post aliquod tempus in flocculos muco similes dissolvatur; idem, in bonam valetudinem transitura nephritide calculosa, sedimentum largum arenosum cum calculis majoribus minoribusve plerumque observavit. Interdum sedimentum lateritium existit, saepiusque materiae lymphae plasticae similis permagna copia in lotio detegitur, quam ob rem Boerhaave, cum pneumonia nephritidem conferens, hanc quoque inflammationem excretione sputorum solvi, contendit. Haud raro ea muci excretio per plures hebdomades post fractam nephritidem perdurat. Alii medici interdum urinam sanguine obscure rubro intermixtam esse, saepiusque haemorrhagias et ex urethra et haemorrhoidales et menstruales crisin quandam supplementariam perficere observarunt. G. Ferrus etiam diarrhoeam, quamquam rarius, vim quandam criticam exserere adnotavit. Sensim functiones renum et ceterorum organorum, quae vel per consensum, vel alias per causas affectionem morbosam simul passa erant, omnino restituuntur.

2) Ad indurationem (scleriasin, nephremphraxin, nephroncum, nephrocelen) magna inest nephritidi propensio, ita ut Alexander Trallesius (1) eam pro solito hujus morbi exitu habuerit.

---

(1) De medic. L. IX. cap. 5.

De nomine Schoenlein et Naumann dissentiunt: nam ille organon per totum ambitum sine ulla structurae mutatione amplificatum esse, et ob eam rem morbum ad hypertrophias potius, quam ad indurationes, pertinere contendit, Naumann vero nomen hypertrophiae ineptum habet, quia nequaquam sanae substantiae renalis adsit amplificatio, sed morbosa materia exsudata. Symptomata inflammationis hebdomade tertia vel quarta sensim evanescunt, deficientibus signis resolutionis, vel alius exitus. Remanet vero sensus quidem gravitatis, velut corpus grave in abdomine pendeat, qui sensus haud raro in dolorem levem, praecipue si aegroti inclinant corpus, transit. Magis magisque urina diminuitur, fit aquosior, tenuior, coloris expers. Augetur torpor seu stupor femoris haud dubie pressione, quam nervi medullae spinalis rene amplificato patiuntur. Qua pressione morbi medullae spinalis, paralyses, apoplexia, kyphosis, adduci possunt. Postremo oedéma pedum aliaeque affectiones hydropicae accedunt. Tumor renis saepe per tegmenta abdominis externa exploratione detegitur et plerumque, si premitur, dolorem movet. Interdum tantum ambitum ren assequi dicitur, ut majorem partem cavi abdominis expleat. Raro hujus morbi complicationes desunt, quae diagnosin saepe difficillimam reddunt.

3) Exitus inflammationis in suppurationem (s. nephrophyosin, s. nephrohelcosin, s. abscessum, s. vomicam renalem) timendus est, si vel aegrotus aetatem juvenilem jam transgressus est, vel vitam antea luxuriosam egit, vel conditionibus externis noxiis curationique perversae submittitur, vel si calculi adsunt organon inflammatum semper irritantes, vel si sanguis

serius aut non satis largus missus est. Quamquam, quod Schoenlein invenit, saepius nephritidem chronicam, quam acutam sequitur suppuratio, tamen satis frequens etiam post acutam observatur, quum in nullo organo parenchymatoso majori tanta sit ad suppurandum opportunitas, quanta in renibus.

Symptomata haecce illum exitum solent indicare: Die septimo vel nono horripilationibus, vel ipsis horroribus aegrotus afficitur, febris quidem diminuitur, sed irregularis fit et inquiete quadam, tempore vespertino apparente, indicatur; desiderantur omnes evacuationes criticae. Fit dolor pulsans. Schoenlein plerumque pressionem obtusam in regione renali percipi tradit, qui thorace antrorsum inclinato augeatur. Neque vero desunt exempla, in quibus nullus dolor animadvertatur. V. Swieten dolorem urentem observavit, usque ad scapulam et fossam axillarem lateris aegrotantis progredientem. Urinae parva modo copia cum doloribus urentibus evacuatur, secundum Schoenlein initio omnino urina retinetur. Est turbida et post breve tempus sedimentum crassum deponit, ex pure constans, interdum vel cum striis rubris sanguinis, vel admixto sanguine colore fusco rubro indutum, haud raro arenam continens. Saepe vero urinae conditio adscripta longe differt. Haller (1) plures casus renis alterutrius suppuratione prorsus deleti tradidit sine ulla urinae anomaliae, quum ren alter amplificatus eo melius urinae secretione fungeretur; immo Horst (2) utroque rene in abscessum magnum commutato urinam nihilominus normalem ex-

(1) Elem. physiol. T. VII p. 251.
(2) Hufelands Journal Bd. XXXV.

cerni, observavit. Hippocrates (1) et alii scriptores antiqui, urinam crassam carunculas vel σαρχία μίχρα, interdum etiam capillos continere, tradiderunt. Alexander Trallesius docuit, urinam in nephropyosi fere statim post emissionem sedimentum purulentum deponere, tardius in suppuratione vesicae urinariae, et in metastasi puris ad renes; pus intime cum urina commixtum esse, et post longius demum tempus fundum petere. V. Swieten pus primum foetere et sanguineum esse, asserit, sensim ejus copiam diminui et conditionem meliorem fieri. Schenk (2) totam substantiam renalem in carunculas commutatam vidit, quae cum urina singulae evacuabantur. Eo difficilior inde diagnosis redditur, quod pus, vel materiam puri simillimam saepius vel per metastasin, vel per levem quandam systematis uropoetici affectionem, a membrana mucosa viarum uriniferarum secerni, jam ex antiquissimis temporibus constat, et quod non raro suppuratio vel ulceratio vesicae observatur, quae urinam fere eandem offert. Wichmann (3) vomitum pro symptomate constante nephropyoseos habet, qui interdum inter ambulandum facile et sine magna molestia appareat, contra Sachse (4), se totalem suppurationem renis unius observasse sine ullo vomitu, contendit. Interdum abscessus per tegumenta abdominalia exploratione cognosci potest.

Sunt viae variae, quibus pus solet evacuari. Plerumque per ureteres defluit, dum paullo ante rupturam dolores recrudescunt et aegritudo universalis augetur.

(1) Aphorism. Sect. IV. nr. 76.
(2) Observat. med. L. III. p. 461.
(3) Ideen zur Diagnostik. 3. Aufl. Bd. I. p. 454.
(4) Ibidem.

Puris evacuatio semper levamen quoddam inducit et postea vel abscessus cicatrisatione sensim clauditur, vel suppuratio in ulcerationem transit et febris hectica tandem accedit.

Tum abscessus viam sibi aperire potest per cutem externam in regione lumbali. Dolor eo loco vehementior fit, interdum tumor ibidem superficialis, oedematosus, saepe fluctuans, apparet. Pus haud raro per magnum spatium telae cellulosae descendit et in loco a renibus longius distante prorumpit. Ita Ledrau (1) abscessum renum in interno latere femoris patescentem vidit, Richter (2) in scroto, alii in perinaeo, Wedel in latere sinistro ossis sacri. Fistulae fere semper remanent difficillimae sanatu, raro aegrotus in bonam valetudinem restituitur, plerumque ulceratio sequitur et febris hectica.

Tertio pus vel in saccum peritonaei, vel in alia organa, quibuscum renes exsudatione plastica cohaerent, effunditur. Si in saccum peritonaei evacuatur, peritonitis et mors sequuntur; si in ventriculum, vel intestina tenuia, urina et pus vomitu redduntur, si in intestina crassa, eaedem materiae in excrementis reperiuntur. Nonnullae adsunt observationes abscessuum renalium cum hepate, et abscessus renis sinistri, cum liene communicantium. Immo de Haen (3) renem cum pulmone communem saccum, sine ullo intermedio septo, formantem invenit. Quae omnes viae maximum offerunt periculum.

Denique interdum suppuratio renem in magnum saccum pure scatentem commutat, totam substantiam renalem delens et solam capsulam renalem relinquens. Mirum cuiquam videbitur, quantam in magnitudinem

---

(1) Naumann, l. c. Bd. VI. p. 21.
(2) Specielle Therapie. Bd. I. p. 915.
(3) Rat. med. T. X. p. 103

renes possint sine laceratione extendi, quum Piso (1) in muliere quadam membranam renum externam adeo dilatatam viderit, ut amplitudinem alvi adaequaret, immo Baletta (2) renem sinistrum viri cujusdam, libras sexaginta et octo puris, sanguinis et lapidum continentem, observaverit.

4) De exitu nephritidis in gangraenam s. sphacelum pauca hucusque scimus, quia rarae modo hac de re observationes traditae sunt. Eustachius (3) aliquoties gangraenosam putrilaginem observasse dicitur et Hildani (4) filius septem annorum gangraena renum, acutam nephritidem secuta, demortuus est. Ceterum Boerhaave, Chopart, Pinel, Frank, Wedel de ea sermonem faciunt. Dolor subito desinere, sudor frigidus et singultus apparere, vires subito collabi, pulsus intermittere, urina vel supprimi, vel livida, nigra, filamentosa, foetens reddi dicitur.

5) Mors et sola nephritide et ejus exitu induci potest. Ne nephritis simplex in stadio inflammatorio mortem afferat, minus timendum est, nisi vel homines constitutione debili, vel gravidas foeminas corripuerit, quibus semper periculosior esse dicitur. Longe saepius nephritis duplex homines ob prorsus suppressam urinae secretionem necat. Ominis pessimi urina vel omnino retenta, vel pellucida, tenuis, aquosa, esse solet. Dein vomitus nimis vehemens et frequens, quod jam Hippocrates recte cognovisse videtur, quum si ileus post stranguriam appareat, aegrotum septimo die obire tradat; nisi febris vel urinae excretio adaucta intret. Praecipue vomitus urinosus timendus est et haud minus periculum ex febris nimia vehementia imminet. Mors in

(1) De morbis a colluvie serosa. L. IV. cap. 2.
(2) Gendrin, Anatom. Beschreib. der Entz. T. II. p. 234.
(3) v. Swieten, l. c. §. 1005.
(4) De lithotomia vesic. cap. 25.

iis casibus plerumque apoplexia, vel vehementibus symptomatibus nervosis adducitur. Eundem exitum saepius complicationes, praesertim in nephritide traumatica, inferunt. Dein gangraena, quotiescunque existit, finem vitae imponit. Si nephritis in indurationem vel suppurationem transiit, saepe inflammatio recidiva subito vitam exstinguit. Saepius febris hectica accedit et phthisis oritur renalis, quae satis notis sub symptomatibus pro validiori vel debiliori constitutione aegroti et pro conditionum externarum et curae adhibitae ratione tempore longiori vel breviori mortem arcessit. Oedema extremitatis lateris aegrotantis accrescens mortem appropinquantem annuntiare dicitur.

IV. SECTIO CADAVERUM.

G. Ferrus, cum aegroti in stadio inflammatorio moriantur, nulla in cadaveribus vestigia manifesta inflammationis detegi posse, contendit. Plerique vero alii scriptores praecipue substantiam tubularem rubefactam et multa in ea vasa parva sanguine impleta inveniebant, et substantiam corticalem vasis quidem sanguine injectis carentem, sed etiam rubriorem et facilem laceratu. Gendrin (1) et Baumgaertner (2) proferunt, substantiam tubularem rubore obscuriori, substantiam corticalem levi rubore et sanguinis abundantia insignem esse, cujus magna copia e rene dissecto profluat, atque ex papillis renalibus loco urinae pellucidae fluidum seroso-sanguinolentum odoris acris ammoniacalis exprimi posse. Ille in summo gradu inflammationis colorem totius renis musculis similem invenit, et Andral (3) colorem substantiae renalis utriusque non amplius inter se differre, contendit. Baumgaertner

(1) Anatom. Beschreibung der Entzünd. Th. II. p. 206.
(2) Naumann l. c. Bd. VI. p. 99.
(3) Grundriss der patholog. Anatomie Th. II. p. 358.

etiam pelvim renalem plerumque rubefactam esse et injectionem sic dictam capilliformem offerre, adnotavit.

Saepius exitus inflammationis in cadaveribus reperiuntur. Renes ex inflammatione indurati texturam carni similem, colorem pallido-fuscum, ambitum adauctum, offerre solent. Transitus in suppurationem vel pluribus parvis abscessibus, vel uno sacco pus continente, qui, quod supra exposuimus, permagnum ambitum assequi potest, vel vomicis in alias partes effusis indicatur. Plerumque primum papillas renales suppuratione deleri, observatum est. Fere semper aut cum induratione aut cum mollitie substantiae renalis ambientis conjuncta invenitur.

De gangraena quum supra jam quaedam monuerimus, haec tantum addamus: Eustachius (1) flatum intra membranam externam adhuc integram, qui illam a substantia renum putrida diduxerat et insignem tumorem fecerat, invenisse dicitur. Ceterum cavendum est, ne omnis substantia renalis valde foetida pro gangraenosa habeatur, quum idem etiam pure diu retento efficiatur.

V. DIAGNOSIS.

Magna difficultas in constituenda diagnosi nephritidis acutae jam ex antecedentibus satis elucet, quum nullum adsit inter symptomata nominata, quod in unoquoque casu observetur, et omnia fere ad alios quoque morbos, qui consensualem quandam renum affectionem secum ferunt, pertineant. Sunt vero signa, quae nephritidem acutam indicant, magis minusve dubia haecce: Dolor obtusus regionis renalis premendo accrescens, stupor femoris, retractio testis spastica, urinae copia vel diminuta cum frequentiori vel dolorifica mingendi

(1) v. Swieten, l. c. § 1005.

cupiditate, vel ischuria, urina obscure rubra, vino Burgundico similis, sanguinem interdum continens, in extremo mali gradu pellucida, tenuis, aquosa, vomitus biliosus frequens, febris vehemens, raro tumor et calor adauctus regionis renalis.

Ad tumorem detegendum Cruveilhier (1) optime praecipit, ut digitis manus unius tegumenta abdominalia regionis lumbalis inter costam infimam et cristam ossis ilium paullo attollantur, manus vero altera, vel pollex manus ejusdem, anteriorem partem abdominis imprimendo perquirat.

Quo plura symptomatum laudatorum simul adsunt, et quo magis cetera signa aliorum morborum, qui eadem producere possunt phaenomena, deficiunt, eo certior diagnosis. Interdum complicationes nephritidis morbum nostrum tam obscurum reddunt, ut vivente aegroto omnino dignosci non possit. Hac parte praecipue vesicae urinariae et prostatae morbi nominandi sunt, cujusmodi exempla prae aliis memoratae dignissima P. Frank tradidit. Petro Frank casus obvenit, »in »quo, licet ren utique suppuratus fuisset, fuerunt ta»men et ipsa vesica et prostata non exiguo ulcere scir»rhisque obsessa. Atqui, quum nulla nephritidis prae»ivissent symptomata, de solo vesicae morbo, de renis »vero suppuratione nequaquam cogitabatur.«

Immo Morgagni (2) historiam aegroti communicavit, qui nullum fere symptoma nephritidis exhibens, tamen inflammatione renum vehemente, in suppurationem exeunte, laborabat.

Sunt morbi quidam aliarum partium, quibuscum nephritis facillime confunditur, qua de re non possumus, quin sententiae, quam Pemberton (3) protulit, suffragemur, multo facilius esse, renum inflammationem a morbis partium prope sitarum dignoscere, quam ab affectionibus partium remotiorum systematis ipsius uropoetici, siquidem dolores, laborante uno organo hujus apparatus, tam celeriter per totum systema propagentur, ut interdum sedes mali omnino definiri nequeat. Itaque praecipue urocystitidis phaenomena saepe suspicionem nephritidis movent. Sed symptomata nephritica sic dicta consensualia in hoc morbo minus vehementia

---

(1) Froriep's Notizen Bd. XXV. p. 271.
(2) Epist. XXX. nr. 22.
(3) l. c. p. 52.

esse solent, quam in nephritide ipsa, contra stranguria et dolor regionis vesicae magis eminent. Urina, quae in nephritide colore aequabiliter rubro insignis esse et flocculos continere solet, in cystitide quoque rubra quidem est, sed singula sanguinis frustula continet. Catheter in vesicam urinariam immissus, si ipsa inflammatione laborat, dolorem vehementissimum efficit, eamque urinae magna copia distentam invenit, si autem renes sedem exhibent inflammationis, vesica vacua reperitur et dolor vel nullus, vel parum vehemens cathetere immisso sentitur. Quae autem omnia interdum ad diagnosin eruendam non sufficiunt.

Secundo nephralgia calculosa non inflammatoria dolores vehementissimos regionis renalis gignere et affectiones consensuales vesicae urinariae, dolores femoris, testis retractionem spasticam, provocare potest, sed caret febri, dolor vesicae, urethrae, femoris vehementior esse, urinae arena et mucus flocculentus inesse solet.

Tertium psoitis speciem aliquam nephritidis haud raro prae se fert. Doloris sedes et vehementia eadem esse potest, febris raro deficit, et quum partes propinquae per consensum simul interdum afficiantur, mittendae quoque urinae difficultates et vomitus dolorque intestinorum accedere queunt. Quisque autem motus corporis, praecipue femoris et inclinatio trunci, dolorem valde adaugent, contra in nephritide dolor sedem profundiorem tenet magisque ureterum decursum sequitur. Urina ruborem quendam inflammatoriúm, non autem eum qui in nephritide observatur, offert; lotiique mittendi difficultas non tanta esse solet, quanta in nostro morbo. Desunt etiam affectiones consensuales femoris et testis.

Deinde cavendum est, ne cum enteritide vel gastritide inflammatio renum confundatur, quod eo facilius evenit, quia auctore Morgagni in nephritide interdum omnis abest de lumbis querela dolorque ille acerbissimus ad vesicam, sed scrobiculi cordis dolores intolerandi unum sunt signum renum pessime se habentium, et quia praecipue in colica haemorrhoidali status irritatus renum saepe ad intestinorum morbum accedit. Jam Galenus eam similitudinem cognoverat, et Schoenlein prae aliis de hac permutatione medicos monet. Dolor persistens regionis renalis secundum decursum ureterum se extendens, abnormis copia

et indoles urinae, symptomata consensualia testis et femoris, symptomata cetera deficientia, enteritidis diagnosin certiorem reddunt.

Tum myelitis partis lumbalis dolorem saepe totius pelvis et regionis lumbalis efficit, et debilitatem membrorum inferiorum mingendique difficultates adducit. Urinae autem conditio, deficiens vomitus et cetera symptomata consensualia nephritidis, paralysis artuum inferiorum, tremor et formicatio harum partium, incontinentia urinae post aliquod tempus apparens, omnem dubitationem suspendunt.

Denique ex aneurysmate aortae abdominalis vomituritio, vomitus, dolor intestinorum, pressio regionis renalis, excitari possunt. Accedunt autem pulsationes abdominalis atque signa cordis affecti, contra nephritidis criteria ex urina, retractio testis spastica, torpor femoris, desunt.

Quum igitur solius jam nephritidis diagnosis tantum praebeat difficultatem, ratiocinari licet, studium eorum medicorum, qui partem renis inflammatione correptam definire voluerunt, inane et frustraneum fuisse. Jam P. Frank ad eam rem animum attendit, quippe qui dignoscendae inflammationi pelvis renalis ab inflammatione substantiae renalis operam impenderit; sed ipse, neque ex pulsu, neque ex doloris conditione certum in hacce re signum obtineri, confessus est. Postea G. Ferrus notam quandam invenisse sibi visus est, quae nephritidem superficialem a parenchymatosa distinguat. Nam quum incipiente nephritide aegroti frequentem urinae mittendae cupiditatem sentire, sed perparcam modo copiam evacuare soleant, hocce signum turbatae functionis unicum esse, quod in inflammatione superficiali renum appareat, contendit, et id quoque post unum vel duos dies evanescere. Sin autem sedes inflammationis in ipsa sit renum substantia, urinam jam primis morbi diebus rubrum colorem assequi et cetera nephritidis phaenomena intrare, quae etiam ab aliis auctoribus describuntur. Si vero multa alia urinae anomalia observatur, praeter frequentem mingendi cupiditatem et urinae copiam diminutam, difficillimum erit demonstratu, utrum iis in casibus jam ipsa superficies renalis aegrotet, an potius partes adjacentes, ut peritonaeum, vel tela cellulosa. Proinde nil certi hucusque ea de re constat.

VITA.

Natus sum Gustavus Haver, Schwertae, Guestphaliae oppido, die XI. mens. Novembris anno MDCCCXIII, patre optimo Dieterico, verbi divini ministro, matre carissima Maria, e gente Moeller, quos adhuc salvos veneror. Fidem confiteor evangelicam. Primis literarum rudimentis a patre instructus, Gymnasium Tremoniense frequentavi per quinque annos, unde, testimonium maturitatis adeptus, litterarum universitatem Rhenanam petii, ibique ab Ill. Brandis, t. t. rectore magnifico, in civium academicorum numerum, et ab Ill. Mayer, t. t. decano spectabili, inter studiosos medicinae receptus, has praelectiones audivi:

Ex ordine philosophorum mihi exposuerunt: Ill. van Calker logicen et psychologiam; Beat. a Muenchow physicen; Ill. Bischoff chemiam experimentalem; Ill. Treviranus physicen; Ill. Goldfuss zoologiam; Ill. Noeggerath mineralogiam. Ex ordine medicorum: Cel. Albers encyclopaediam et methodologiam medicam; Ill. Mayer et Cel. Weber anatomiam et artem cadavera rite secandi; Cel. Windischmann physiologiam et pathologiam generalem; Cel. Albers materiam medicam; Ill. Nasse therapiam generalem; Ill. Naumann therapiam specialem; Ill. Wutzer chirurgiam, akiurgiam et morbos oculorum; Ill. Kilian morbos infantum.

Per biennium et semestre Bonnae moratus, ineunte Majo MDCCCXXVI. ad celeberrimam universitatem Fridericam Guilelmam, quae Berolini floret, me contuli, ubi ab Ill. Busch, t. t. rectore magnifico, inter cives academicos receptus, et ab Ill. Mueller, t. t. decano maxime spectabili, medicinae studiosis adscriptus, has frequentavi praelectiones et scholas clinicas.

Medicinam forensem Ill. Wagner; anatomiam pathologicam Ill. Mueller; artem obstetriciam theoreticam et practicam Cel. Kluge; clinicum medicum Beat. Bartels et Cel. Wolff; clinicum chirurgicum Ill. Rust; policlinicum medicum et chirurgicum Cel. Truestedt et Ill. a Graefe; clinicum ophthalmiatricum Ill. Juengken.

Quibus viris omnibus summopere venerandis pro summis de me meritis gratias ago, quas possum maximas.

Tentaminibus, tam philosophico, quam medico, et examine rigoroso coram gratiosa facultate medica rite superatis, spero fore, ut, dissertatione et thesibus defensis, summi in medicina atque chirurgia honores mihi impertiantur.

THESES.

1. Generatio aequivoca negari nequit.
2. Medicus venenis non utitur.
3. Iridectomia reliquis koremorphoseos methodis est praeferenda.
4. Pleuritis vera simplex existit.